



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. An Episcopus negare possit absolvendi facultatem, nisi Confeßarij se
obligent non sequi aliquam opinionem certò probabilem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

ceret Papam errare, aut errare posse in censurâ lata, quam qui tantum assereret opinionem damnatam, ut scandalosam, esse veram. Ratio est: quia dicens Papam errare, diceret per me quid hæreticum, & per alios, quid hæresi proximum; qui autem diceret scandalosam esse veram, non diceret quid hæreticum, aut hæresi proximum, quia Papa non definit damnatam esse falsam, aut ejus contradictoriam esse veram: hinc ex. gr. dicens hanc opinionem, *Non est illicitum edere ad satietatem*, quæ damnatur ut scandalosa, non esse scandalosam, esset hæreticus; non esset autem hæreticus, qui diceret eam esse veram; quia Papa non dedit ejus contradictoriam, *est illicitum edere ad satietatem*, esse veram: ut enim est de fide primam esse scandalosam, ita est de fide, hanc non esse scandalosam; contradictoria enim damnatæ habet perfectionem oppositam imperfectioni, quam habet damnata; ex. gr. si una damnatur ut falsa, contradictoria approbatur ut vera; si una damnatur ut scandalosa, aut ut temeraria, contradictoria approbatur ut utilis eterne salutis, aut solidi fundamenti.

N. 105. Tertiò infer me non dicere, quod esset hæreticus, qui absolute doceret, aut practicaret aliquam ex damnatis ut scandalosis, sed tantum, si doceret non esse scandalosas. Quia autem ego sentio, ut dicam infra, scandalum in damnatis oriri ex falsitate contrariâ veritati morum, quam Ecclesia tradit, ideo puto quod esset etiam hæreticus mediatè, qui damnatas, ut scandalosas, diceret non esse falsas. Lege P. de la Fuente in Theolog. Reformatâ disp. 1. an. 34. ad 36. & P. Moy. tom. 1. tr. 1. d. 6. quest. 5. §. 5.

N. 106. An autem sit de fide Papam errare non posse in Canonizatione Sanctorum, aut approbatione Religionum, plerique licet putent omnino certum, negant tamen esse de fide; quia Papa non accipit novas revelationes, ut videri potest apud P. de la Fuente l. c. n. 93. & 113. Ego tamen argumento adducto puto evinci posse esse de fide.

N. 107. P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 8. quest. 6. n. 22. iterum querit, quâ certitudine certum sit Papam errare non posse in qualificatione propositionum; & postquam retulit aliorum mentem, subdit esse de fide, & dat rationem; quia licet possit quis sine errore in fide defendere propositionem contradictoriè oppositam illi, quam Papa damnavit ut scandalosam, non tamen potest defendi sine errore in fide, quod non sit scandalosa, quia eo ipso assereret Ecclesiam suo in judicio errasse. Hæc P. Moya. Verum fateor me non percipere sensum eorum verborum, quæ etiam Tom. I.

trahit, & sequitur Torrecilla diffie. 4. à n. 24. Torrec. laudans P. Moyam. Non, inquam, percipio; nam defendere propositionem contradictoriè oppositam illi, quam Ecclesia damnavit ut scandalosam, non tantum fieri potest sine errore in fide, immò omnes ad hoc tenentur; assume enim hanc damnatam ut scandalosam, *Non est illicitum edere ad satietatem*, ejus contradictoria est, *est illicitum*; hoc autem utique defendi potest sine errore, immò defendi debet: quare puto P. Moyam, & ex eo Torrec. nisi egregiè fallor, dicere velle, quod quamvis possit quis defendere sine errore damnatam ut scandalosam, non tamen potest sine errore defendere non esse scandalosam, ut patet ex ejus contextu; nam ait: N. 108. Vnde qui post decretum Alexandri VII. affirmaret Mendicantes posse ubique à casibus Episcopis reservatis absolvere, unum è duobus sentire necesse est, aut se defendere propositionem scandalosam, aut Ecclesiam errasse. Hæc P. Moya. Ecce non utitur propositione contradictoriè oppositâ ipsi damnatæ, immò utitur ipsa damnatâ opinione: ergo necessario vult dicere, quod licet quis possit defendere sine errore opinionem damnatam ut scandalosam, non tamen quod non sit scandalosa. Ratio primæ partis est: quia defendens damnatam ut scandalosam, non evincitur docere, quod Ecclesia erret, sed tantum, vel quod ipse defendat opinionem scandalosam, vel quod Ecclesia erret. Hæc obiter dicta sint, ut inde pateat Authorum verba non tantum legenda, sed ponderanda.

S E C T I O V.

Digressio novissima, & utilissima de Episcoporum circa opinionis probabilitatē auctoritate.

§. I.

An Episcopus negare possit absolvendi facultatem, nisi Confessarij se obligent non sequi aliquam opinionem certo probabilem?

S U M M A R I U M.

Laudatur Illust. D. Franc. Barretus, & Pignatellus, n. 109.

Status questionis, ibid.

Rationes Pignatelli, n. 110. ad 113.

Nemo, quem viderim, hoc dubium movet, nisi Jacobus Pignatellus de Jure Canonico optimè meritis, tom. 8. suarum Consultationum Canonicarum consult. 15. ejusque compendiator Pascucci v. confessio pag. mihi 198. quorum volumina, nec non alia, numquam satis mihi laudabilis (ob quotidiana heroicarum virtutum experimenta, & ob

& ob hæcenus à nemine visam, à me expertam profundissimam benevolentiam) Illust. D. Franc. Barretus commodavit, ut habere quod discerem ab ejus copiosissima Bibliotheca, ut habeo, quod admirer ab ejusdem sapientia. Querit igitur Pignatellus, an Episcopus possit Sacerdoti, sive seculari, sive Regulari, absolvendi facultatem negare, nisi juret, se aliquas opiniones probabiles non fecuturum? Respondet negativè.

N. I. Quia Regulari saltem approbato, ut idoneo, debet ex justitiæ rigore concedi absoluta, & non restricta absolvendi facultas, nisi gravissima causa obstet, teste C. de Lugo d. 21. de Pœnit. n. 60. & P. Suar. disp. 28. de Pœnit. sect. 1. n. 15. dicens, Episcopos graviter peccare aliter faciendo: ergo cum nulla causa obstet, nam opinio supponitur certò probabilis, nequit Episcopus absolvendi facultatem negare.

N. II. Quia Episcopus à Cornelio Papa interdictur insolita juramenta exigere, quin ab Urbano II. cap. Nullus Episcopus, vetatur Episcopis, ne de idoneitate Ordinandorum exigant juramentum: ergo, si de re adeo gravi, nequidem à Clericis Sæcularibus, qui Episcopis subjiuntur, exigi nequit juramentum, multò minùs à Regularibus, qui Episcopis non subduntur, poterunt Episcopi exigere juramentum de non sequenda hæc, aut illa opinione certò probabili.

N. III. Quia probabilitas opinionum, cum sit res gravissima, soli Papæ reservatur: ergo Episcopus nequit aliquam certò probabilem improbabilizare; & multò minùs de eà non sequenda juramentum exigere. Nec juramenti prætensionem fovet, quòd Confessores aliquando sequantur aliquas opiniones tamquam probabiles: esto enim hoc ita sit, non tamen peccat, ait Pignat. eò quia non defunt Authores, qui eas secuti fuerint, quod satis est ad conscientia securitatem, etsi opposita forent probabiliores.

N. Concludit dicendo, tutius fore remedium, vel Confessores monere, ne eas sequantur, vel obtinere, ut illæ damnentur. Etenim dum manent probabiles, nequeunt à Confessariis reprobari, quin juxta communem Confessarij tenetur absolvere poenitentem opinioni probabili nixum, etsi à Confessore falsa judicaretur. Hæc doctus selectissimarum Consultationum Collector.

§. II.

Advertenda.

SUMMARIUM.

Datur in Ecclesiâ autoritas infallibilis impro-

babilizandi, & probabilizandi opiniones, n. 114.

DD. hoc negantes, ibid.

Soli Papa convenit judicium infallibile, dummodo ex Cathedra loquatur, sive præcedat, sive non, consilium Cardinalium, & examen TT. ibid.

DD. tuentes, & negantes, ibid.

Quibus infra Papam conveniat declaratio prudentialis de probabilitate? n. 116.

Ferè omnes à Papa damnata, rejectæ prius fuerunt à TT. ut improbables, ibid.

Prudentialis declaratio alia est sine, alia cum jurisdictione, & quibus conveniat, n. 117.

Cui competat declaratio authoritativa circa matrimonium? Ibid.

Per hoc, quòd aliqua notetur ut improbabilis, non violatur Innoc. præceptum, n. 118.

Plerique Antiqui oppositam propria dixere probabilem, ibid.

Neceffe sepe est tam nimis strictas, quam nimis laxas rejicere, ibid.

Utraque multiplicat peccata sine ratione, ibid. & n. 120.

DD. à S. Bonav. comparantur canibus, qui se non latrant, sunt pane indigni, ibid.

Antiqui vix durissimo verbo usi, & qualiter à TT. latrandum, n. 119.

Speciosum Divi Dominici Hieroglyphicum, ib. Christus D. à D. Bonav. vocatur Liber lucis, ibid.

Episcopi specialiter latrare debent contra nimiam opinionis rigorem, aut laxitatem, n. 120.

Peccata spiritalia quæ longè difficilius curationis, n. 121.

Salutare Divi Anton. monitum, ibid.

Opinio, vel una loci circumstantia mutata, potest de probabili fieri improbabilis, n. 122.

Approbatio quid? n. 123.

Confessio sine Episcopi approbatione est invalida, & opposita damnatur ab Alex. ibid.

In Regularibus necessaria præterea Prælati licentia, ibid.

Approbatio differt à jurisdictione, ibid.

Non potest Regularis post examen reperiens idoneus rejici, ibid.

Magistri, & DD. egent etiam approbatione, ait Trident. n. 124.

Episcopi etsi possint omnes examinare, sepe non expedit, ibid.

Munus prudentis ex S. Bonav. ibid.

Confessarij idiora omnia absolvunt, ibid.

Laudatur Illust. Episc. Lorientis, n. 125.

Veritas tumentem mentem humiliat, ait S. Bonav. ibid.

In ordine ad praxim perinde est, sive jus absolvendi sit à Jure Divino, sive non, n. 126.

DD. tuentes, & negantes, ibid.

Certum